

Quidam dicunt, hæc prædicta non posse fieri bono fine.

Quæ tamen quidam contendunt numquam habere bonam causam: qui enim aliena furatur, ut pauperibus tribuat, non pro bono, ut ajunt, furatur: non enim bonum est pauperibus aliena dare. Qui de rapina sacrificium Deo offert, ut ait auctoritas (Eccli. xxxiv.) idem facit ac si filium in conspectu patris victimet vel offerat Deo sacrificium canis: abominabilis nempe Deo est impiorum oblatio. Ita etiam & hominem per adulterium à morte liberare, malum esse dicunt: etsi enim bonum sit hominem à morte liberare, tamen sic hominem liberare, malum esse asserunt. Ideoque Augustinum in superioribus dicunt temperasse sermonem, cauteque locutum, ubi ait, ea quæ constat esse peccata, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione faciendâ. Non enim simpliciter dixit, bono fine, & bona intentione; sed addidit quasi, & velut: quia talia non fiunt bono fine, & bona intentione; sed intentione quæ videtur bona, & fine qui putatur bonus, sed non est. Nec ideo accepit Augustinus ista, ut ajunt, quin causas habeant malas; sed quia causas habent quæ videntur bonæ, sunt tamen malæ.

DIVISIO TEXTUS.

In parte præcedenti determinavit de peccato, secundum quod in actu voluntatis consistit; in parte ista determinat de eo, secundum quod consistit in actu exteriori: & dividitur in partes duas. In prima parte ostendit unde actus exteriores dicantur boni, vel mali; in secunda movet quasdam questiones circa prædeterminata, xl. dist. Cumque intentio, ut supra dictum est, bonum opus faciat, & fides intentionem dirigat; non immerito queritur, utrum omnis intentio, omneque illorum opus malum sit qui fidem non habent. Prima dividitur in duas. In prima ostendit actus exteriores ex voluntate bonos, vel malos esse; in secunda inquit, utrum sit verum universaliter in omnibus, ibi: Sed queritur utrum opera omnia hominis ex affectu, & fine sint bona, vel mala. Et dividitur in duas. In prima ad determinationem questionis inducit duas opiniones; in secunda inducit tertiam, quæ utrique quantum ad aliquid contradicit, ibi: Sed Augustinus evidentissime docet... omnes actus secundum intentionem, & causam judicandos bonos, vel malos præter quosdam. Et dividitur in duas. In prima confirmat hanc tertiam opinionem per dicta Augustini; in secunda ostendit, quomodo illi qui alias opiniones sustinent, auctoritates inducunt solvunt, ibi: Quæ tamen quidam contendunt numquam habere bonam causam.

QUÆSTIO I.

Hic quinque queruntur. Primo. Utrum bonum, & malum sint differentie specificæ actionis. Secundo. Si bonitas, & malitia exterioris actus ex voluntate dependent. Tertio. Si actus exterior addat in bonitate, & malitia supra interiorum actum voluntatis. Quarto. Si eadem actio potest esse bona, & mala. Quinto. Si aliqua actio potest esse hoc modo indifferens ut neque sit bona, neque mala.

ARTICULUS I.

Utrum bonum, & malum sint differentie essentialis actionis.

1. 2. quest. xxi. art. 1. Circa primum sic proceditur. Videtur quod bonum, & malum non sunt essentialis differentie actionis. (1) Al. pro utraque actione.

Ex Edit. P. Nicolai. (a) Ubi explicata est ex professo definitio illa, quæst. 1. art. 2. quamvis non sic expresse illam Augustinus habeat ut refertur, sed ex illius verbis vario loco sparsis colligi possit: quo ad hanc vero partem quæ nominatim in proposito exprimitur, colligi potest non ex cap. 1. (sicut hic prius ad marginem) sed ex cap. v. 1. Lib. de mor. Eccl. ubi virtutem ait vocari posse sapientis animæ qualitatem.

ferentia actionis. Nulla enim essentialis differentia convenit secundum quid alicui, sed per se. Bonum autem, & malum non conveniunt actioni, secundum quod actio, sed secundum objectum, & finem. Ergo bonum, & malum non sunt essentialis differentie actionis.

2. Præterea. Omnis differentia, ut in IV. Metaph. text. iv. dicitur, entis, & unius prædicationem recipit. Sed malum, cum sit privatio, est non ens. Ergo non potest esse essentialis differentia actionis.

3. Præterea. Essentialis differentia est de essentia ejus cujus est differentia constitutiva; sicut rationale de essentia hominis. Si ergo bonum, & malum sunt differentie essentialis actionis; aliqua actio erit de cujus essentia est malum. Sed nullum malum est à Deo. Ergo erit aliqua actio cujus essentia non est à Deo, quod supra improbatum est.

4. Præterea. Ea quæ differunt per differentias essentialis, non conveniunt in specie. Sed in quibusdam actionibus bonæ, & malæ sunt eadem specie; sicut concubitus matrimonialis, & fornicarius, cum idem effectus in specie (1) per utramque actionem sequatur, scilicet hominis generatio. Ergo bonum, & malum non sunt differentie essentialis actionis.

5. Præterea. Sicut bonum, & malum inveniuntur in actionibus hominis, & habitibus; ita etiam inveniuntur in aliis rebus. Sed in aliis bonum, & malum non sunt essentialis differentie. Ergo nec in hominum actionibus.

Sed contra. Illud quod ponitur in definitione alicujus, est essentialis sibi. Sed bonum ponitur in definitione virtutis ab Augustino dicente in Libro de moribus Ecclesiæ catholice cap. 1. quod virtus est bona qualitas mentis, ut supra xxv. dist. dictum est. (a) Ergo malum, & bonum sunt differentie essentialis habituum. Sed secundum differentiam habituum est differentia actionum ex habitibus procedentium; cum similes habitus similes actus reddant, ut in II. Ethic. dicitur. Ergo bonum, & malum sunt essentialis differentie actionum.

Præterea. Omnis differentia faciens secundum speciem differre, est differentia essentialis. Sed bonum, & malum distinguunt species habitus. Ergo sunt differentie essentialis habituum; & sic idem quod prius.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod actiones differunt specie.

cie secundum diversitatem formarum, quæ sunt principia actionum quamvis etiam agentia specie non differant; sicut calefacere, & infrigidare differunt specie, sicut calor, & frigus. Forma autem voluntatis est finis, & bonum, quod est ejus objectum, & volitum: & ideo oportet quod in actibus voluntatis inveniatur differentia specifica secundum rationem finis. Et quia actus sunt in genere moris ex hoc quod sunt voluntarii, ideo in genere moris est diversitas speciei, secundum diversitatem finis. Et quia malum, & bonum sumuntur secundum ordinem ad finem, ideo oportet quod sint essentialis differentie in genere moris. Sciendum est autem, quod ad aliquod genus contingit aliqua reduci dupliciter: vel per se, ut ea quæ per essentiam suam in illo genere sunt, sicut albedo, & nigredo reducuntur ad genus coloris: vel per accidens, ratione alicujus quod in eis est, sicut res alba, & res nigra ad genus coloris. Ea ergo quæ per se sunt in genere simpliciter, differunt specie per differentias essentialis generis; quæ vero reducuntur ad genus per accidens, non differunt per differentias generis simpliciter, sed secundum quid tantum, scilicet secundum quod ad genus illud pertinent, ut patet præcipue in artificialibus: formæ enim artificiales accidentales formæ sunt: unde cultellus, & clavis etiam differunt specie, secundum quod ad genus artificiale pertinent; sed quantum ad substantiam eadem sunt specie: quia substantia utriusque est ex materia naturali, & non ex forma artificiali, ut in II. de Anima Commentator dicit. Et quia, ut dictum est, hoc modo aliquid ad genus moris pertinet quo voluntarium est, ideo ipsi actus voluntarii, qui per se & immediate ad voluntatem pertinent, per se in genere moris sunt: unde simpliciter specie dividuntur interiores actus voluntatis per bonum, & malum, sicut per differentias essentialis; actus autem imperati à voluntate, elicit per alias potentias, pertinent ad genus moris per accidens, secundum scilicet quod sunt à voluntate imperati: & ideo actus illi secundum substantiam non distinguuntur secundum speciem per bonum, & malum; sed per accidens, secundum quod ad genus moris pertinent.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis bonum, & malum non sint differentie actionis, in quantum est actio; sunt tamen differentie ejus, secundum quod est voluntaria: sicut etiam rationale, & irrationale non sunt differentie substantiæ ut substantia est, sed secundum quod consideratur ut animata: & ideo nihil prohibet in aliquo genere actionum easdem actiones specie per bonum, & malum differre.

Ad secundum dicendum, quod, sicut supra dictum est, malum prout dicitur privationem tantum, non potest dici essentialis differentia, sed secundum quod fundatur in aliquo fine indebito, qui tamen finis non omnino bonitate caret: unde sic malum est contrarium bono, & non privatio.

Ex Edit. P. Nicolai. (a) Nempè dist. xxv. § 4. ex Lib. II. Retract. cap. ix. non, ut prius hic indicabatur ad marginem, ex Lib. XIV. de Civ. Dei cap. xi. 11.

tentia; & ideo per accidens convenit sibi esse in genere moris: unde potest dupliciter considerari: vel secundum genus naturæ; & sic concubitus matrimonialis, & fornicarius specie non differunt, unde & effectum naturalem eundem specie habent: vel secundum quod pertinent ad genus moris; & sic effectus specie differentes habent, ut mereri, vel demereri, vel aliquid hujusmodi; & sic in specie differunt.

Ad quintum patet responsio per id quod dictum est, quod finis est forma voluntatis, secundum quam operatio humana dicitur: & ideo bonum, & malum differentie essentialis, & specificæ in genere humanorum actuum sunt, sicut & aliæ actiones differunt secundum diversas formas agentium: & ideo non est similis ratio de istis actionibus, & de aliis; & propter hoc dicit Philosophus in V. Metaph. text. xix. quod finis in agentibus ex proposito, est bonum, & malum speciali modo.

ARTICULUS II.

Utrum actio sit simpliciter judicanda bona, vel mala ex voluntate.

1. 2. q. xx. artic. 2.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod simpliciter ex voluntate actio judicanda sit bona, vel mala. Matth. vii. 18. dicitur: Non potest arbor mala fructus bonos facere, nec arbor bona malos fructus facere. Sed voluntas bona bonæ arbori comparatur, mala autem malæ. Cum igitur fructus voluntatis sint exteriores actus, videtur quod ex bonitate, & malitia voluntatis simpliciter exteriores actus dicendi sint boni, vel mali.

Præterea. Ut dictum est, actus exteriores non reducuntur ad genus moris, nisi secundum quod sunt imperati à voluntate. Sed non participant bonitatem, vel malitiam moralem, nisi secundum quod ad genus moris pertinent. Ergo videtur quod secundum bonitatem, vel malitiam voluntatis dicendi boni, vel mali. Quod etiam Ambrosius significare videtur dicens, Lib. I. offic. cap. xxx. Affectus tuus nomen operi tuo imponit.

Præterea. Ut in III. Metaph. text. com. 111. Philosophus dicit, ratio boni à fine sumitur. Sed actus voluntatis habet ordinem ad finem mediante voluntate, cujus objectum est finis. Ergo secundum bonitatem, vel malitiam voluntatis, dicendus est actus exterior malus, vel bonus.

Præterea. Malum non est potentius quam bonum. Sed si sit malà voluntas, necessario sequitur quod actus exterior sit malus. Ergo & si sit bona voluntas, sequitur quod actus exterior sit bonus.

Præterea. Augustinus supra dixit, (a) de Civ. Dei Lib. XIV. cap. xi. 11. quod voluntas est quæ peccatur, & recte vivitur. Sed voluntas, secundum quod ea peccatur, est mala, & secundum quod ea recte vivitur, est bona. Ergo peccatum, & etiam bona operatio, quæ est recte vivere, judicari debent secundum bonitatem, vel malitiam voluntatis.

Sed contra. Philosophus in II. Ethic. cap. vii. dicit, quod quedam sunt quæ bene fieri non possunt: quia cum sint extrema, in eis non est medium accipere. Contingit autem in talia opera ingredi propter

Lib. II. Retract. cap. ix. non, ut prius hic indicabatur

voluntatem alicujus finis boni. Ergo non est iudican-
dus actus exterior bonus propter voluntatis bonita-
tem.

Præterea. Supra dictum est, quod si fiat contra
conscientiam errantem, quæ iudicat esse faciendum
quod malum est, peccatur, & similiter si secundum
eam fiat. Sed ille qui vult aliquid facere propter hoc
quod conscientia sua sibi dicitur, bonam voluntatem
habere videtur. Ergo bona voluntas non sufficit ad
hoc quod actus exterior bonus dicatur.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod voluntas dupliciter
potest considerari: vel secundum quod est inten-
dens, prout in ultimum finem fertur; vel secundum
quod est eligens, prout fertur in objectum proxi-
mum, quod in finem ultimum ordinatur. Si consi-
deretur primo modo, sic malitia voluntatis sufficit
ad hoc quod actus malus esse dicatur: quia quod
malo fine agitur, malum est. Non autem bonitas
voluntatis intendens sufficit ad bonitatem actus:
quia actus potest esse de se malus, qui nullo modo
bene fieri potest. Si autem consideretur voluntas, se-
cundum quod est eligens, sic universaliter verum
est quod à bonitate voluntatis dicitur actus bonus, &
à malitia malus. Ad bonitatem enim consilii, quod
electionem præcedit, ut in V. Eth. cap. viii. dicitur,
tria exiguntur. Unum scilicet quod consiliarius
præstituat sibi debitum finem; quia si aliquis ad ma-
lum finem consequendum multas efficaces vias in-
veniat, non dicitur bonus consiliator. Secundo quod
ad finem bonum consequendum adveniat bonum
opus, per quod finem consequatur: unde si quis bo-
num finem consequi intendat per malam actionem,
non est bonus consiliator: quia, ut ipse dicit, sorti-
tur finem inconvenienti medio, eo quod illud quod
ad finem ordinat, non est proportionatum fini illi, si-
cut si aliquis veram conclusionem, per medium im-
pertinens concluderet. Tertio requiritur ut adven-
iat utrumque in tempore convenienti, ne sit præ-
ceptum in festinando, vel etiam inutiles in tardando.
Sed hoc ultimum pertinet ad bonitatem consilii, se-
cundum quod consilium in ratione inquirentis, &
inveniente est; alia vero ex parte rei, & consiliato-
ris. Cum igitur electio sit quasi consilii conclusio,
ut in III. Ethicor. cap. vi. dicitur, oportet quod
ad bonitatem voluntatis eligentis concurrat bonitas
finis, & bonitas eius quod ad finem ordinatur; &
si hoc sit, proculdubio actus exterior bonus erit; si
autem alterum desit, erit voluntas mala, & actus
malus.

Ad primum ergo dicendum, quod arbor est ex
qua immediate procedit fructus; unde arbori com-
paratur voluntas, secundum quod eligens, quia ex
electione immediate sequitur opus.

Ad secundum dicendum, quod secundum volun-
tatem dicitur actus exterior bonus, vel malus; sed
non secundum voluntatem intendentem, solum, sed
secundum voluntatem eligentem.

Ad tertium dicendum, quod ad bonitatem rei non
solum exigitur bonitas finis ultimi, quem respicit vol-
untas intendens; sed etiam bonitas finis proximi,
quem respicit voluntas eligens; & ideo non sequitur

(1) Al. actus.
Ex Edit. P. NICOLAI. (2) Colligitur ex Glossa
in I. Ethicor. c. vi. Quod additur ex Bernardo sumptum est ex Lib. de grat. & lib. arb. ubi plenius idem
habetur versus finem.

quod bonitas voluntatis intendens, ad bonitatem
actus sufficit.

Ad quartum dicendum, quod quia bonum per-
fectius, & potentius est quam malum, ideo ad bo-
num plura exiguntur quam ad malum; quia bonum
consistit ex una tota & perfecta causa; sed malum
ex particularibus defectibus, ut Dionysius dicit,
cap. iv. de divin. Nomin. & ideo defectus volunta-
tis circa ultimum finem sufficit ad malitiam actio-
nis; non autem bonitas finis ultimi sufficit ad boni-
tatem.

Ad quintum dicendum sicut ad secundum.

ARTICULUS III.

Utrum actus exterior addat aliquid bonitatis, vel ma-
litiæ super bonitatem, vel malitiam voluntatis.

1. 2. quest. xx. art. 4.

1. AD tertium sic proceditur. Videtur quod ac-
tus exterior nihil de bonitate, & malitia ad-
dat supra bonitatem, vel malitiam voluntatis. Primo
per id quod dicitur super Math. xi. in Glossa: (a)
Quantum intendis, tantum facis. Si igitur duo sint,
quorum uterque idem bonum intendat, & unus
exequatur, & alius non, videtur quod nihil de bo-
nitate per actum exteriorem addatur.

2. Præterea Bernardus (b) dicit, quod bona vo-
luntas sufficit ad meritum; sed bona actio requiritur
ad exemplum: & consonat ei quod Philosophus in
X. Ethicor. cap. viii. dicit, quod exteriores ac-
tus sunt ad manifestationem virtutis. Sed absoluta,
& perfecta ratio bonitatis in actibus humanis est,
secundum quod sunt meritorii. Ergo tota bonitas in
actu interiori consistit; & ita per actum exteriorem
nihil de bonitate, vel malitia additur.

3. Præterea homo per bonas operationes in bea-
titudinem, & felicitatem pervenit. Sed beatitudo, &
felicitas humana fortune non subjacet, ut in I. Eth.
cap. xiv. probatur. Ergo nec fortuna de bonitate,
vel malitia operis aliquid auferre potest. Sed actus
exterior virtutis moralis potest impediri per fortu-
nam, ut in X. Ethic. cap. xii. dicitur, ut patet in
paupere, qui non habet unde actum liberalitatis exer-
ceat, & in infirmo, qui actum fortitudinis exercere
non potest. Ergo actus exterior nihil addit, vel dimi-
nuit de bonitate actionis humane.

4. Præterea quanto actio melior est, tanto ma-
jus sibi præmium debetur. Sed tota quantitas præ-
mii mensuratur secundum quantitatem radicis, sci-
licet habitus actum informantis. Cum igitur (1) ha-
bitus primo eliciat operationes intrinsecas, videtur
quod in actibus interioribus tota efficacia meriti con-
sistat; & ita per exteriores actus nihil de bonitate ac-
crescit.

5. Præterea si actus exterior addit aliquid boni-
tatis supra bonitatem actus interioris, ergo quanto
actus exterior major fuerit, tanto homo magis me-
rebitur. Sed hoc falsum est: quod patet ex Domini
sententia quam de vidua mittente duo ara in gazo-
phylacium dedit Luc. xxi. Ergo actus exterior non
addit bonitatem supra actum interiorem.

6. Sed contra. Si aliquid potest fieri per unum,

interlineali ad illa verba, Bonus homo de bono thesau-
ro, etc. (b) Quod additur ex Bernardo sumptum est ex Lib. de grat. & lib. arb. ubi plenius idem
habetur versus finem.

sicut per duo, superfluum est duo ad illud induce-
re. Si igitur equalis bonitas consistit in actu exteri-
ori, & interiori simul, & in actu interiori tantum,
videtur quod actus exterior superflueret; & ita non
oportet & nos aliquid agere, sed solum velle.

7. Præterea duplex bonum melius est. Sed ac-
tus interior, & exterior uterque bonitatem habet. Er-
go uterque melior est quam alter tantum.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod actus exterior, & ac-
tus interior voluntatis hoc modo comparantur ad in-
vicem, quod uterque quodammodo est alteri boni-
tatis causa, & uterque quantum in se est, quam-
dam bonitatem habet quam alteri dat. Actus enim
exterior bonitatem habet ex circumstantiarum com-
mensuratione, secundum quam proportionatus est
ad finem hominis consequendum. Et quia actus ex-
terior comparatur ad voluntatem sicut objectum, in-
de est quod hanc bonitatem voluntatis actus interior
ab exteriori habet, non quidem ex eo secundum
quod est exercitus, sed secundum quod est inten-
tus, & volutus: quia secundum quod est exercitus,
sequitur actum voluntatis. Sed quædam ratio boni-
tatis consistit in actu interiori voluntatis secundum
se, secundum quod voluntas est domina suorum ac-
tum, secundum quam bonitatem actus habet ratio-
nem meriti, vel laudabilis: & hæc bonitas ex actu
interiori in exteriorem procedit. Loquendo igitur de
illa bonitate quam voluntas actui exteriori præbet, ac-
tus exterior nihil bonitatis addit, dummodo voluntas
æqualiter intensa sit. Hoc pro tanto dico, quia quidam
actus sunt delectabiles, in quibus voluntas non potest
esse ita intensa ante actum, sicut est in actu, ut patet
in actu fornicationis: unde non æqualiter demere-
tur qui vult fornicari, & qui actu fornicatur: quia
voluntas non potest esse adeo perfecta ante actum,
sicut est in actu. Quidam vero actus sunt difficiles,
in quibus voluntas remittitur in actu; & in istis vo-
luntas potest esse magis perfecta ante actum quam
in actu. Si autem loquamur de bonitate actus quam
actus exterior secundum se habet, sic actus exterior
complet interiorem in bonitate, vel malitia, sicut
terminus motus complet motum: comparatur enim,
ut dictum est, ad voluntatem ut objectum. Et quia
ad præmium essentielle ordinatur actus per bonita-
tem primam, quam habet à voluntate, prout libera-
liter redditur, & ex amore; ideo actus exterior ni-
hil adjungit ad præmium essentielle: tantum enim
meretur qui habet perfectam voluntatem aliquod bo-
num faciendi, quantum si faceret illud; & si facit
unum actum, quantum si faceret multos, volunta-
te æqualiter perfecta manente. Ad præmium autem
accidentale ordinatur per bonitatem quæ est ipsius
actus exterioris secundum se: & ideo actus exterior
adjungit aliquid ad præmium accidentale: verbi gra-
tia, martyr in quantum exterius patitur, victoriam
de adversariis fidei habet, & ex hoc sibi aureola de-
betur. Similiter etiam aliquis ex hoc quod in actum
exteriorem frequenter exit, magis habilitatur ab bo-
bonum: & ex hoc sequitur quod in charitate cres-
cat. Similiter per actum exteriorem punitur magis
quam per voluntatem tantum: & ideo actus ex-
terior adjungitur in satisfactionem: & similiter in om-
nibus aliis quæ consequuntur bonitatem actus, se-
cundum quod exercitus est.

In II. Sent. Tom. II.
(2) Al. injungitur.

Ad primum ergo dicendum, quod cum dicitur,
Quantum intendis, tantum facis, ly quantum potest
esse adverbium, vel nomen. Et si sit nomen, tenet
in malis: quia quantum aliquis credit, vel intendit
peccare, tantum peccat: in bonis autem non, quia
potest aliquis tepida voluntate intendere multum Deo
placere, nec tamen tantum placet. Et ratio hujus
differentiæ ex supradictis patet: quia plura exigun-
tur ad bonum quam ad malum. Si autem ly quan-
tum sit adverbium, sic verum est & in bonis, & in
malis, secundum illam bonitatem, & malitiam quam
habet actus ex voluntate eligente. Sed per actum ex-
teriorum aliquid (2) adjungitur quantum ad bonita-
tem quæ est ipsius actus exterioris secundum se.

Ad secundum dicendum, quod dictum Bernardi
intelligitur quando facultas operandi deest; volun-
tate perfecta existente: & loquitur tantum quantum
ad essentielle præmium, & non quantum ad acci-
dentale.

Ad tertium dicendum, quod bona fortuna, ut in
I. Ethic. cap. xiv. dicitur, organice deservunt fe-
licitati: & ideo non est inconveniens, si accidenta-
liter ad felicitatem conferant, & eorum defectus fe-
licitatem impediatur quantum ad aliquid felicitati ac-
cidentalæ.

Ad quartum dicendum, quod illud intelligitur de
præmio essentiali, quod secundum quantitatem ra-
dicis mensuratur; cui non additur per actum exte-
riorem, si sit perfecta voluntas; sed additur aliquid
quantum ad præmium accidentale.

Ad quintum dicendum, quod vidua illa plus aliis
misse dicitur, quia efficaciori voluntate illud de-
dit: unde magis merebatur apud Deum de præmio
essentiali quam illi qui majora munera minori devo-
tione dabant. Sed quantum ad præmium accidentale
illi poterant plus mereri, secundum quod per ma-
jora munera plus satisfaciebant, vel etiam ministros
templi plus ad orandum pro se provocabant, vel quid-
quid hujusmodi est quod actum exteriorem secun-
dum se sequitur.

Ad sextum dicendum, quod voluntas tendit in ac-
tum exteriorem sicut in objectum: unde si adsit fa-
cultas operandi, non posset esse voluntas perfecta,
nisi operaretur: & ideo non est superfluum facere,
quia sine actione nec ipsa voluntas bona esset. Præ-
terea actus exterior in præcepto cadit, & iterum ad
præmium accidentale confert.

Ad septimum dicendum, quod bonitatem illam
secundum quam actus exterior vitæ æternæ merito-
rius est, totum ex voluntate gratia informata habet,
secundum quod voluntarius est: & ideo non oportet
quod supra bonitatem voluntatis perfectæ aliquid
adjungat ad meritum essentielle vitæ æternæ perti-
nens.

ARTICULUS IV.

Utrum eadem actio possit esse bona, & mala.

1. 2. quest. xx. art. 6.

1. AD quartum sic proceditur. Videtur quod
possit esse eadem actio bona, & mala. Quia,
ut in III. Physic. text. xxi. dicitur, idem est mo-
tus qui in agente est actio, & in patiente passio,
secundum substantiam, ratione differens; sicut ea-
dem est via ab Athenis ad Thebas, & de Thebis ad
Athenas. Sed contingit actionem esse malam, & pas-
sionem esse bonam.

Ccc2
sio

sionem bonam: unde dicitur: *Actio displicuit*, scilicet Judæorum, *passio grata fuit*, scilicet Christi. Ergo contingit eundem actum esse bonum, & malum.

2. Præterea. Ut in V. Physic. text. xxxix. dicitur, unus motus est continuus, & eadem ratione una actio est quæ est continua. Sed contingit in eadem continua actione, vel motu, ut in eundo ad lesiam, primo haberi bonam intentionem, postea am, & è converso. Cum ergo ex intentione judicetur actio bona, vel mala, eadem actio potest esse mala, & bona.

3. Præterea. Primus motus est peccatum, ut supra, dist. xxiv. quæst. 1. art. 2. dictum est. Sed qui resistit primo motui, non peccat, immo meretur. Contingit autem, quod adhuc primo motu durante, cum prius aliquis non resistit, postmodum resistat. Ergo contingit circa eundem motum esse bonitatem, & malitiam.

4. Præterea. Sit ita quod aliquis dominus præcipiat famulo eleemosynam dare, & quod dominus bona intentione, & ex charitate præcipiat, famulus autem involuntarius, & coactus det: constat quod datio eleemosynæ illius est actio domini, & servi actio. Sed dominus in illa datione meretur, famulus autem peccat. Ergo contingit in eadem actione esse meritum, & peccatum.

5. Præterea. Ponatur quod aliquis in peccato mortali existens aliqua suffragia faciat pro defuncto in purgatorio existenti: constat, quod iste suffragia faciens sibi non meretur, cum charitatem non habeat; sed ille qui in purgatorio existit, meretur diminutionem poenæ, vel plenam absolutionem. Ergo eadem actio potest esse meritoria, & non meritoria; & eadem ratione bona, & mala.

Sed contra. Matth. vi. 24. *Nemo potest duobus dominis servire*. Sed per bonam actionem Deo servitur, per malam vero diabolo. Cum igitur una sit actio quæ est unius agentis, videtur quod non possit esse una actio bona, & mala.

Præterea. Contraria non possunt esse simul in eodem. Sed bonum, & malum contraria sunt. Ergo non possunt esse in eadem actione.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod cum unum, & ens convertantur, secundum hoc quod res se habet ad esse, ita se habet ad unitatem. Est autem in re duplex esse considerare: scilicet esse quod est ipsius secundum se, quod est esse primum, & substantiale; & esse superveniens, quod est secundum, & accidentale: & ideo contingit quod aliquid secundum se consideratum, est unum, quod tamen secundum aliquid, quod est sibi accidentale, pluralitatem habet: verbi gratia, lignum continuum, cujus una pars est alba, & alia nigra, ipsum quidem in se, in quantum est lignum, est unum; sed secundum illud esse quo est coloratum, est multa, & non continuum. Cum igitur actus exteriores participent bonitatem, & malitiam moralem, sicut quoddam superveniens, & accidentale sibi, in quantum tales actus sunt imperati à voluntate; continget aliquem actum hujusmodi esse unum, secundum se consideratum, & tamen esse multa, secundum quod ad genus moris refertur, secundum quod moraliter bonus, vel malus dicitur: & ideo bonitas, & malitia

(1) Al. operans.

ARTICULUS V.

Utrum aliqua actio humana sit indifferens.

1. 2. quæst. xvi. art. 8. & 9. & de malo quæst. 11. art. 4. & 5.

1. Ad quintum sic proceditur. Videtur quod aliqua actio indifferens inveniatur in actibus humanis. Nihil enim potest esse medium inter bonum, & malum nisi indifferens, quod neque bonum, neque malum est. Sed bonum, & malum, sunt contraria mediata, ut in prædicamentis dicitur. Ergo aliqua actio est indifferens.

2. Præterea. Sine charitate non potest esse aliquod meritum. Sed non est dicendum, quod qui non habet charitatem, quolibet suo actu peccet, vel demereatur: quia consultur ei ut aliquos actus ex genere bonorum faciat. Ergo videtur quod aliquis actus sit qui neque est meritorius, neque demeritorius; & sic idem quod prius.

3. Præterea. Nullus actus, vel voluntas bonitatem habet, nisi referatur in finem dilectionis, ut supra dictum est. Sed contingit frequenter agere etiam quædam quæ secundum se mala non sunt, quæ in finem dilectionis non referuntur. Ergo hujusmodi nec bona, nec mala erunt, & ita erunt indifferencia.

4. Præterea. Accedere ad mulierem, quædam est actio, nec de se bonitatem, vel malitiam moralem dicit; cum nulla circumstantia iste actus sit vestitus, secundum quam aliquis ordo rationis in eo appareat. Ergo contingit aliquem actum indifferenter esse.

5. Præterea. Hujusmodi actus qui secundum suum genus indifferentes sunt, ut levare festucam, & aliquid hujusmodi, non possunt habere bonitatem, & malitiam, nisi ex intentione, qua in finem referuntur. Sed contingit quod ille etiam finis in quem referuntur, indifferens est. Ergo iste actus omnino indifferens remanebit.

6. Præterea. Opera nostra non possunt esse meritoria, nisi propter Deum facta. Aut ergo ad bonitatem actus sufficit habitualis relatio in finem, aut exigitur actualis. Si sufficit habitualis: ergo si aliquis semel in anno referret omnia opera quæ facturus est in illo anno, in Deum, omnia essent meritoria; & ita facillima esset via salutis: quod est contra illud Matth. vii. 14. *Arcta est via quæ ducit ad vitam*. Si autem exigitur actualis relatio operis in Deum, tunc nunquam posset esse opus bonum, nisi aliquis actu de Deo cogitaret. Si ergo nullus actus est indifferens, tunc omnis actus quem quis exercet de Deo non cogitans, erit malus, & peccatum, quod est valde durum. Ergo necesse est aliquos actus indifferentes esse.

Sed contra. 1. Corinth. x. 31. *Omnia in gloriam Dei facite*. Aut ergo aliquis refert opus suum in gloriam Dei, aut non. Si refert, convenit quod actus ille bonitatem ex fine sortiatur, si tamen in finem illum sit referibilis, quod convenit omni actui qui de se malus non est. Si non refert, (1) præterit præceptum Apostoli, & ita peccat. Ergo de necessitate omnis actus vel est meritorius, vel demeritorius.

Præterea. Plus est facere quam dicere. Sed qui sine causa loquitur otiosa verba, peccat. Matth. xii. 36. *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines,*

(1) Nicolai: præter præceptum Apostoli facit. (2) Al. virtute.

reddent rationem de eo in die judicii. Ergo multo fortius si aliquid faciat homo quod in debitum finem non referat, peccat. Sed si in debitum finem referat, actus bonus est. Ergo de necessitate omnis actus vel bonus, vel malus est, & nullus indifferens.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod circa hoc sunt tres opiniones.

Quidam enim dicunt, quod in dictis non potest esse aliquid indifferens, in factis autem potest. Verbum enim ordinatum est ad aliquid, quia est signum rei; factum autem, cum non sit signum, non est ordinatum ad aliquid: & ideo in verbo incidit deformitas, si otiose proferatur; non autem in facto, si sine causa legitima fiat. Sed hæc ratio nulla est: quia quamvis non sit ordinatum ad aliquid sicut signum ad signatum, est tamen ordinatum ad aliquid sicut ad finem: quia omne quod à principio est, ad finem aliquem tendit: ortum autem opponitur illi ordini qui est ejus quod est ad finem ipsum, & non ordini qui est signi ad signatum.

Et ideo alii dicunt, quod tam in dictis, quam in factis contingit aliqua esse indifferencia, quæ nec bona, nec mala sunt; sicut illa quæ non ordinantur ad impletionem præceptorum Dei, ut sic propter Deum fiant, nec etiam divinis contrariantur præceptis, siue sint in dictis, siue in factis; ut si aliquis alicui loquatur ex quadam civili amicitia, vel etiam aliquod opus amicabile ad ipsum exercet. Sed hæc non videtur esse instantia: quia actus virtutis politica non est indifferens, sed de se bonus est; & si sit gratia informatus, erit meritorius. Non est autem accipere aliquid in quod ordinatur humanus actus, quod vel secundum virtutem politicam rectum non sit, vel etiam rectitudini adversum: quia non potest esse aliquis actus procedens ab aliquo deliberante sine intentione finis, ut in II. Metaph. text. com. vii. dicitur. Finis autem ille est bonum conveniens homini vel secundum animam, vel secundum corpus, vel secundum etiam res exteriores, quæ ad utrumque ordinantur: & hoc quidem bonum, nisi sit contrarium illi bono quod est hominis bonum secundum rationem, rectitudinem virtutis civilis habet: quia virtus civilis dirigit in omnibus quæ sunt corporis, & etiam quæ propter corpus quæruntur: unde si his aliquis mediocriter utatur, erit usus rectus; si autem secundum abundantiam, vel defectum, erit usus vitiosus virtuti oppositus.

Et ideo aliter secundum alios dicendum est, quod nullus actus à voluntate deliberata progrediens potest esse qui non sit bonus, vel malus, non tantum secundum Theologum, sed etiam secundum moralem Philosophum: & ulterius non potest esse aliquis actus à deliberata (2) voluntate procedens in habente gratiam qui non sit meritorius; sed tamen in non habente gratiam potest esse aliquis actus deliberatus qui nec meritorius, nec demeritorius est; tamen est bonus, vel malus. Cujus ratio est, quia malum, in quantum malum, non opponitur bono, nisi sicut privato habitui; sed oppositio contrarietatis est ex hoc quod illud ens supra quod fundatur talis privatio, non comparitur secum aliquod bonum quod est simpliciter bonum; sicut immoderata delectatio in cibis non comparitur secum bonum sobrietatis, quod est simpliciter bonum; & ideo illa immoderata delectatio